



C. D.  
DE  
CRIMINE  
MAIESTATIS

PRÆSIDE

PETROMÜLLERO, JCTO  
Confil. Saxon. Pandectar. Profefs. & Colleg.  
Jurid. Decano

*In Auditorio Jctorum*

d. 3. Septembr. 1687.

*disputabit*

WILHELMVS MÜLLERVS,  
Mitavia - Curonus.

JENÆ, Typis PAULI EHRICHII,  
Anno 1712.

7

J. 22.

C. D.  
DE  
CRIMINE  
MAIESTATIS

FRASIDA  
PETRO MÜLLERO, Icto  
Consl. Saxon. Pandectar. Profeca. & Colleg.  
Iurid. Decano

In Auditorio Scorum

d. 5. Septembris 1777.

disputata

WILHELMVS MÜLLERVS  
Militaris - Censor

GENE, Typis PAULI ERICHTII,  
anno 1777.

7





**T**RACTATIO de crimine laesa majestatis  
commode absolvitur sequentibus  
sex capitibus I. quid sit hoc ipsum  
crimen & quomodo dividatur, II.  
contra quos hujus criminis Rei fiant,  
III. quinam id committant, IV. quot  
modis commutatur, V. quale de hoc crimine in-  
stituatur iudicium & VI. qua poena Reus convictus  
afficiatur, ubi simul quae ibi occurrant specialia no-  
tantur.

## CAP. I.

*proponit*

### QVID SIT ET QUOMODO DI- VIDATUR CRIMEN LAESAE MAJESTATIS.

§. I.

**A**NTE quam ad definiendum procedam, bre-  
viter monendum, in genere duplicem  
dari Majestatis, aliam *Divinae*, aliam *Hu-*  
*mana* laesionem. Illa, quid sit, quomodo con-  
trahatur & puniatur, videat. Dn. Praeses in Ele-

A 2

men-




*mentari Jurisprudencia disput. 53. th. 3. breviter & concione delineat.*

§. II. Cum verò, si absolutè fit mentio criminis læsæ Majestatis, humana intelligatur, & nobis fit animus, de hac non de illa agendi; ejus descriptio & definitio erit lustranda. Et audit plerumque hoc crimen omnium maximum, enormissimum & atrocissimum vid. Roland. à Valle *Conf. 73. n. 3. vol. 1. Mundius vol. 1. conf. num. 3.* Dispersitur autem hoc nostrum crimen in crimen læsæ Majestatis in specie tale, & perduellionis.

§. III. Crimen illud in specie tale in quacunq; Majestatis violatione & ejusdem jurium arrogatione consistit vid. *l. 40. ff. d. pœn.* Perduellio in *l. 1. in princ. ad L. Jul. Majest.* describitur, quod fit crimen, quod adversus populum Rom. vel adversus ejus securitatem committitur. Et *secundum §. publica autem judicia F. de publ. jud.* illi committunt crimen læsæ Majestatis, qui contra Imperatorem vel Rempubl. aliquid moliti sunt, confer, etiam *l. ult. ff. h. t. DD.* ita definiunt, quod fit crimen publ. quo contra Majestatis ac Reipub. dignitatem & securitatem subditus perniciosum quid maligno proposito machinatur.





CAP. II.

tractat

IN QVOS HOC CRIMEN  
COMMITTATVR.

§. I.

Quoniam versatur in jure Romano, secundum illud, itaque dispiciendum, contra quos hoc crimen præprimis committatur. Et docet nos modo allegatus §. 7. d. pub. Jud. in Imperatorem perpetrari & quidem rectissime; constat enim ex definitione, quod intentetur contra Majestatis ac Reip. dignitatem & securitatem.

§. II. Committitur etiam contra Regem Rom. quia hic quoad dignitatem Imperatori æquiparatur vid. Arumæus ad Auream Bullam disc. 2. th. 21. & Paurmeisterus d. Jurisdict. Imper. Rom. lib. 5. cap. 5. num. 4.

§. III. Item in Electores Imp. Rom. nam A. B. Tit. 24. speciatim disposuit, quod in Electores Crimen Majestatis non tantum committatur, sed ut pœna eadem, quæ delinquentibus in Imperatorem dicitur, obtinere debeat. An etiam in alios Imperii Principes controversitur. Magnif. Dn. Struvius in Exercitationibus juris ad Digesta



*Exer. 49.* distinguit aut læsio tendit in perniciem Imperii, & tunc revera hoc crimen committi putat: Aut læduntur eo respectu quò hi Principes præsentur suis Ducatibus, & tunc analogum criminis Majestatis censet. Cui non contrariari putem *Carpz. Pract. Crim. p. 1. Q. 41. n. 66. & seqq.* qui sine hac distinctione & in alios Imperii Principes crimen læsæ Majestatis committi asserit. Cum quo faciunt *Bocer. in Tract. de Crimin. Læs. Majest. cap. 2. num. 91.* Tiberius Decianus. *lib. 7. c. 4. n. 8.* Roland. à Valle *Conf. 4. Vol. 1. & cap. 1. num. 26.* Johannes Gœddeus *disp. 16. de publ. Jud. Thes. 4. Lit. G.* Gigas sub *Tit. qualiter & à quibus q. 79.* Nec autoritate *Ritterhusii in Comment. ad Inst. pag. 760.* contra sentientis, moveor. Hoc tamen Tiberio Deciano largior, damnationem memoriæ rei & pœnam filiorum in hoc crimine contra alios præter Electores Imperii Principes non facile admittendam.

§. 5. Item contra *Consiliarios Imperii & quidem I.* Si hoc crimen *in odium ipsius Imperatoris*, in ejus Senatores sit intentatum (II) *se adversus eorum dignitatem & existimationem per eorum latus ipsa Majestatis ledatur.* Ratio hic esse potest, quia ejusmodi Consilarii, (quos  
In-



Intimos præcipuè hic intelligimus) non sunt mero subditi, sed post ipsum Caput, Regni præcipua membra, vel quasi corporis Imperatoris pars 1. 5. C. ad L. Jul. Majest. Unde Otto apud Tacit. 1. Hist. de Senatu Romano dicebat, quod cum eorum incolumitate firmetur Salus Reipub.

§. VI. In Reges five τὸ κρείον habentes hoc crimen committi nullum est dubium, quia Regibus & Rebus publ. Superiorem non recognoscentibus Majestas non minus ac Imperatori Rom. competit. De Pontifice Rom. magis ambigitur, sed & in eum à subditis suis respectu temporalis *ἐξουσίας* crimen hoc intentari probat Carpz. ad L. Reg. 13. q. 18. quod etiam notat Dn. Struv. Exerc. b. p. 946.

CAP. III.

*exhibet*

QUINAM COMMITTANT  
CRIMEN LÆSÆ MAJESTATIS.

§. I.

EX definitione superius data apparet, subditos hujus criminis præcipuè fieri Reos, conf. cap. Pastoral. 2. §. rursus de sent. & Re judicat. in Clementinis, & Mathæi in l. 48. tit. 2. cap. 1. n. 7. & seqq. Rationem addimus, quia subditis inprimis



mis incumbit, quantum in illis est statum Reipub. præsentem servare saluum & incolumem.

§. II. Non autem Clerici hic excipiuntur *arg. C. si quis Laicus 22. q. 5. & C. perpendimus 23. de Senten. excom.* Confer etiam Theodorum Petreum Concluf. Crim. lib. 78. & Harprecht. ad Tit. Inst. de Jud. publ. ad §. 3. Boccr. Tract. de Crim. Læs. Majest. cap. 1. num. 18. Accedit prout ex Politicis constat, Clericos æque in Republ. esse ac alios, & consequenter æque Subditos. Cum & Script. S. Rom. 13. omnem animam potestati subjiat, & Rex Salomo Abjatharem Sacerdotem læsæ Majestatis Reum ab officio deposuerit 1. Reg. 2. vers. 26. 27.

§. III. Peregrinos crimen læsæ Majestatis non committere, nec Perduelles, sed hostes tantum dici posse, tantum non omnium est assertio. Nec contrarium prorsus defendo; puto tamen & adventantes, & in Republ. aliena aliquandiu versantes, sive hoc fiat negotiandi causâ, sive ex alio quocunqve capite, subditorum nomine venire posse, licet non per omnia perpetuis æquiparentur; quod probo sequentem in modum (1) quia ejusmodi adventantes & peregrini stare tenentur legibus Reipubl. in qua sunt præsentem; nam cum leges toti sint Territorio datæ, etiam omnibus eò vel



vel perpetuò vel ad tempus comprehensis lætæ censendæ sunt (2) quia illi temporarii, pariter ac perpetui subditi patrocinium à Magistratu expectant: E. etiam idem jus in se admittere debent quod ab alio sibi fieri postulant, h. e. pro hoc patrocinio Reipubl. subijci, prout hoc probè notavit Dn. Christoph. Becmann. *in Meditat. suis Polit. cap. 19. §. 8.*

CAP. IV.

<sup>exponit</sup>  
**QVOT MODIS COMMIT-  
 TATVR CRIMEN LÆSÆ MAJE-  
 STATIS.**

§. I.

**M**Ultis modis hoc crimen perpetrari certum est. Si Historicis quid dandum; sæpe in leviculis crimen Majestatis admissum & severius puni- tum esse licet asserere. Namque si quis per Chal- dæos & Mathematicos in Domum Cæsaris quæsive- rat, & de ejus salute scrutatus fuerat, Majestatis Reus fiebat, quod notat Tacitus *lib. 3. Annalium*, & Cu- jacijs *ad Paulum lib. 5. tit. 21.* Ubi & Julius Fir- mius *lib. 2. Mathes. cap. ult.* citatur. Quandoque maledicta Ebriosorum, & joca ac dicteria à Prin- cipibus crudelioribus ut crimina læsæ Majestatis

B  
ha-



habita v. Senec. *lib. 3. de benef. c. 25* Spartianus in Caracalla testatur aliquem Majestatis damnatum, quod in eo loco urinam fecisset, in quo statuæ & Imagines Principis positæ essent. Imperante Tiberio delatus quidam est tanquam Majestatis Reus, quod metallam apprehendisset ea manu, quâ gemmam, in qua Imperatoris imago sculpta essent, gestabat Senec. *lib. 3. de benef. c. 23.* Confer Gothofredum *adl. 7. D. ad L. Jul. Majestatis.* Sub Domitiano, testante Xiphilino mulier capite damnata est, quod ante statuam Principis vestem exuisset. Quamquam & in crimen perduellionis & Majestatis olim etiam alias & justè satis animadversum teste Cicerone pro Cajo Rabinio Perduelle, item Seneca *lib. 9. controvers. 2. & per L. Cornel.* vindicatum; iis tamen non immorabimur, cum jura nunc certiora habeamus. Ubi eminet L. Jul. Majestatis à C. Julio Cæsare lata teste Cicerone Philip. I. & in Oratione in Pisone, & Balduin. h. in præf. Duaren. *in tit. D. d. L. Jul. Majest. c. 1.* videri etiam potest Schickardus *Disput. 20. thes. 3. lit. B.*

§. II. Quia verò supra constituimus discrimen inter crimen Majestatis in specie sic dictum & perduellionis; lubet ex Exercit. Magnif. Dn. Struv. *Exercit. 49.* notasse illud committi vel factò, vel verbis sive maledictis.

§. III



§. III. Factum tale sit oportet, quod contumeliam Principis vel Reipubl. involvit, v. g. si quis statuas aut Imagines Imperatoris jam consecratas non reprobatas conflat, aliterve violat: ea quæ Majestatis sunt, sibi arrogat, v. g. qui monetam non tantum adulterinam, sed & justæ valoris sine concessione Summæ Potestatis cudit, carceres habet privatos &c. vid. *L. 4. in fin. L. non contrahit §. in fin. L. qui statuas, 6. D. ad Jul. Majestatis, §. l. 1. C. de privatis Carceribus, & Cujacius Cap. de falsa moneta. Damhud. in Praxi Rerum Criminal. cap. 64. & 65. Franzkius Exercit. 14. §. 6. n. 4. & seqq. Hieronymus Treutlerus Select. disput. Vol. 2. disput. 32. thes. 1. ad L. D. Duarenus in Tit. D. ad L. Jul. Majestat. c. 2. Petrus Theodoricus disput. 5. Colleg. Criminal. thes. 3. & 4. Hunnius in suis Resolutionibus p. 492. & seqq. §.*

Vel II. Verbis sive maledictis, in contumeliam Majestatis protrusis. Arguunt enim hæc talia sceleratum animum: de quo eleganter Curtius, linguæ virulentia remeritasque verborum nihil aliud quàm scelesti animi index ac testis est, confer. *l. unic. C. si quis Imp. maledic. Bocer. Tract. d. Crimine Læsa. Majestatis c. 3. Carpzov. pr. q. 41. n. 119. & seqq.*

B 2 non inbibit in sup. §. IV.



§. IV. *Perduellionis* Crimen committitur facto, cogitatione & quacunque hostilitate Reipubl. aut Principi intentata, ut si ad partes hostium trans-eas, seditionem in Rempubl. concites, aut aliud quid ad Imperii statum labefactandum atque e-vertendum hostili animo & quidem directè moli-ris, vel consultatione tale quid agitas *l. 5. C. ad L. Jul. Majest. & l. 1. & penult. D. eodem conf. Althusium libr. 1. Jur. Rom. c. 69. Anton. Math. de Criminib. c. 2. de Crimine Læse Majestatis n. 1. & 15.* Benè verò hic tenenda in superius laudata Jurisprudencia Elementari Dn. Præsidis *c. loc. inculcata distinctio perduellionis, in propriè, cum quis directè, & immediate contra Imperatorem vel Rempubl. Rom. quid molitur l. ult. D. ad L. Jul. Majestatis, impropiè sic dictam, quæ salutem & vitam Consiliariorum & Militum im-petit l. 5. C. ad L. Jul. Majest.*

CAP. V.

<sup>agii</sup>  
DE JUDICIO HUIUS CRI-  
MINIS.

§. I.

**N**emini Judicium hoc nisi summæ-potestati tri-buendum, quod ipsum flagitat (1) Cautæ subli-mitas, quam subditi non satis æstimare posse cen-sentur,



nec in facinorosos, eò, quo par est, modo animad-  
 vertere vid. Dn. Beckm. *Med. Polit. c. 14. §. 2.*  
 (2) quia hoc crimen immediatè spectat ad Prin-  
 cipem. Potest tamen τὸ κρείον supremo suo judi-  
 cio, hujus criminis cognitionem committere, si  
 fortè nolit videri, ut in propria causa judicet, vel vi  
 summæ potestatis Reum præjudiciò gravare ve-  
 lit, in quem finem vid. *l. unic. C. ne quis in sua  
 causa jud.* & egregium illud monitum Mœcena-  
 tis ad Augustum apud Dionem Cassium: *Si per-  
 niciem tibi quispiam machinatus fuisse culpetur,  
 eum tu ipse neque judicabis, neque præjudicium  
 contra afferes, (est enim absurdum eundem &  
 accusatoris & judicis partibus fungi) sed in Se-  
 natum adductum causam dicere jube.*

§. II. Delatus verò vel Reus hujus criminis pri-  
 mo per nuncium, literas, aut Edictum legitimè  
 est citandus; Neque facilè procedendum ad ca-  
 pturam absque citatione, nisi fugæ periculum sub-  
 sit vid. Gail. *lib. 2. de pace publ. c. 9. n. 6.*

§. III. Hujus criminis delatum, absentem non  
 damnari posse teneo, idque propter generaliti-  
 tatem *l. 5. D. de pœnis & l. 1. D. de req. vel abs.  
 damn.* Quod & in hoc crimine in Imperio Rom.  
 Germ. usu observari testatur Antonius Matthæi  
*tr. de Criminib. c. 4. d. les. Majest. n. 4.* ubi simul



adnotat constitutionem Imperatoris Henrici VII. *extra vag.* quomodo in crimine læsæ Majestatis procedendum, in foro Germaniæ vix attendi.

§. IV. Aliud E. inquirendum remedium quid agendum sit, si Majestatis Reus ad Rempubl. alienam vel Principem exterum confugerit: Ubi suggerente Grouo *de jure B. & P. l. 11. l. 21. §. 4.* Princeps loci, in quo commissum est hoc crimen, vel ex pacto fœderis, vel per literas mutui compactus illum repetere potest. Nam interest Publicæ ultionis, ut in eo loco quo peccatum, poenâ exemplum statuatur, quod etiam vult Bodinus *lib. 3. de Republ. c. 6.* Nec facillè Princeps eatenus huic petitioni refragabitur, quia hoc pertinet ad publicam securitatem, ut scil. hoc modo infringantur vires & robur conjurationis.

§. V. Citato comparenti denunciandum crimen & accusatio instituenda, & ad cognitionem ejus, litis contestationem & criminis probationem procedendum. Urgendus verò hîc ste non minus Accusator vel delator, ut doceat quæ detulit (si talis habetur, qui si falso detulit, calumniæ causa plectitur) quàm Reus ad ea, quæ negat purganda, vid. *l. 3. C. d. abolit.*

§. VI. Probatur verò hoc crimen vel per propriam confessionem, vel per idoneos testes, vel per



per literas conjurationis, vel per alia documenta evidentiā. Tandem ad tormenta, in quibus quo ad hoc crimen, omnibus æqua conditio esse dicitur *l. 3. & 4. C. ad L. Jul. Majest. & l. 10. §. 1. D. d. quest.* recurritur. Ubi tamen hæc cautio observanda, ut veritas aliter investigari nequeat, & (2) gravia, verisimilia & sufficientia indicia delatum gravent. Quanquam non nego aliquando absque judicii strepitu in cognitione hujus criminis procedi posse, præsertim si crimine manifesto, periculum in mora sit, ut talis nequam armatus veniat ad patriam delendam, quare Impp. Theod. Valend. & Arcad. *in l. 1. C. quand. lic. unic. sine jud. se vind. melius est, inquit, occurrere in tempore quam post exitum vindicare, quod serum est punire judicio, subjugamus edicto vid. l. 6. §. 4. D. d. injust. rupt. irrit. Anton. Math. d. criminibus c. 4. d. les. Majest. n. 2. & 11.*

§. VII. Non tamen facilè extraordinariè procedendum, cum possit ordinariè, & cavendum ne affectibus sed potius solo veritatis & justitiæ respectu judicetur. Quare judex necesse habebit, personæ qualitatem accuratè considerare, item ejus voluntatem & facultatem ex vita ante acta. De quo vid. egregiam *l. unic. C. si quis Imperat. maledic.* Ubi ajunt Impp: Ex personis hominum dicta



Etā pensemus, confer Modestinum in *l. famosi. 7.*  
 §. 3. *D. ad L. Jul. Majest.* monentem judicem se-  
 quentem in modum: *Hoc crimen à judicibus non*  
*in occasionem sevitiæ, ob principalis Majestatis*  
*venerationem habendum est, sed in veritate:*  
*nam & personam spectandam esse, an potuerit*  
*facere & an ante quid fecerit, & an cogitave-*  
*rit, & an sanæ mentis fuerit.*

CAP. VI. ET VLTIMUM.

DE POENA HVJVS CRIMI-  
 NIS, ET QUÆ CIRCA HANC NO-  
 TANDA.

§. I.

**T**Andem causa satis cognita Reo dicitur pœna,  
 quæ in utroque hoc Crimine est gladius, vid.  
*D. Præsidis cit. loc. p. 476. lin. 10. & l. 5. C. h. t.*  
 nomine verò gladii plerumque omnis vio-  
 lentæ mortis insignitur species. Nam pati-  
 untur hodiè Majestatis rei pro qualitate de-  
 lecti modo severius, modo mitius quoddam ul-  
 timi supplicii genus. confer. *Constit. Crim. Carol.*  
*V. Art. 124. Carpzov. q. 41. num. 90. & D. Philip.*  
*Eclog. 80. num. 10. & vix observabitur hoc discrimen*



men, quod vult Paulus *lib. 5. Tit. 29.* ut humiliores ac viliores bestiis objiciantur vel vivi exurantur, Honestiores ac Digniores verò capite tantum puniantur; præprimis cum modo dicta sanctio Criminalis generaliter loquatur.

§. II. Diximus verò superius, nos & specialia in hoc crimine & ejus animadversione occurrentia notaturos.

Sit itaque *primum speciale*, quod sc. memoria Rei in crimine perduellionis post mortem damnetur *l. 5. C. §. 3. ad L. Ful. Majest.*

*Secundum speciale*, quod bona omnia publicentur & confiscentur. *l. 9. & l. ult. D. ad L. Ful. Majest.*

*Tertium*, quod filii Rei ex vitio paterno fiant infames, & ita pœnam quasi criminis paternæ luant. *l. 5. §. 1. C. ad Leg. Ful. Majest. & l. 10. C. de bonis proscript. & Auth. Bona, sub eod. tit. A. B. Carpzov. q. 41. n. 98. Grot. lib. 2. d. Jur. B. & P. c. 21. & 13. Math. c. 5. n. 6. Perez. in l. 5. C. ad L. Ful. Majest.*

Nec movet nos objectio quorundam: hoc injustitiam sapere, cum filii non deliquerint. Nam iis reponere possumus Exemplum ipsius Dei in Decalogo minitantis, se Idololatriam in tertiam & quartam generationem vindicaturum, & tamen



aliàs delictorum paternorum filios teneri nolentis. Si E. hoc in crimine læsæ Majestatis Divinæ, quæ Idololatria contrahitur, in foro poli obtinet, & in humanâ in foro soli procedet, præsertim cum utriusque par sit ratio I. quia in utrisque hereditarii criminis exempla sunt metuenda, II. quia in utrisque finis pœnæ est, ut omnis tanti facinoris memoria deleatur.

*Quartum* speciale est, quod etiam mortuo fiat processus & executio, quod tamen in crimine perduellionis præprimis intelligi velimus, secus est, si quis ex alia causa Majestatis Reus sit *l. ult. C. & l. 24. D. d. pœnis*, illam tamen etiam rei cognitionem quinquennio finiri tradunt DD. argumento *l. 2. C. d. Apost.* confer Mathæi *c. 3. n. 5.*

*Quintum* est: Quod Cadavera Majestatis judicatorum non concedantur cognatis ad Sepulturam *l. 1. D. d. cadaveribus punit.*

*Sextum*: Quod damnati Perduellionis non lugeantur *l. 11. §. non solent D. de his qui not. infam.*

*Septimum*: Quod filiis ex bonis Patris Perduellionis Rei non competat legitima vid. Bocer. *Tract. d. Crimine Majest. c. 3. num. 89. & seqq.* Cujacius *lib. 6. observ. c. 23.* Theodoricus *disp. 8. Colleg. Criminal. thes. 4. ad lit. B.* Nam cum omnia



omnia Perduellionis bona secundum Rescriptum  
Imperatorum Arcadii & Honorii fisco sint addi-  
cenda *l. 5. in fin. princ. C. ad L. Jul. Majest.* E. ni-  
hil supererit, unde filii legitimam habere possint.  
Constat 2. quod vivo parente ex ejus bonis filius  
non debeat legitima *l. 1. §. 21. in fin. D. d. col-  
lat. bonorum* confer. Claudius de Batandier *in  
tract. de parentibus & fratribus c. 8. n. 11.* Mynf.  
*Cent. 4. obser. 5.* Et si dicendum quod res est, filii  
quicquid hic patiuntur, non adeo pro pœna, quam  
loco infortunii habendum, quod in pari casu no-  
tat sæpè laudatus Dn. Beckmannus *in suis Medit.  
Polit. c. 15. §. 11*

§. III. Filiæ verò, quia ob imbecillitatem Sexus  
minus periculi ab illis timendum, falcidiam de  
bonis maternis retinebunt *l. 5. C. ad L. Jul. Ma-  
jestat.*

*Observum*, quod in hoc crimine & cogitatio  
puniat. *l. 5. in princ. C. ad L. Jul. Majestat.*  
Quod ipsum fit ob duplicem rationem (1) quia  
tali cogitatione spreta est veneratio Majestatis;  
sed qui venerari Regem nescit, teste *Valerio* in  
omne nefas facile est procurusurus. (2) Exemplo  
ut terreantur homines, ne conniventia, à cogita-  
tionibus ad ipsum factum prorumpant & ita Rei-  
publ. noceant.

§. IV



§. IV. Famofa hic est objectio ex *l. 18. D. de pœnis* ubi afferitur, Cogitationis pœnam neminem pati, & additur à nonnullis Ratio, quia cogitationes non sunt in nostra potestate. Ut igitur paucis rem expediamus, distinguimus cum Comitollo inter cogitationes speculativas & practicas: illæ per se ipsas nudæ manent sine appetitu, consilio & electione, & illarum hic non habetur ratio: Hæ delectationem & deliberationem habent annexam, & hic puniuntur. DD. vulgo ad hanc objectionem ita respondent; aliam esse meram cogitationem, aliam fieri conatum, & in actum externum prorumpere, & hanc puniri, non illam, sed eodem res recidit.

*Nonum Speciale*, quod alienationes, manumissiones, emancipationes à nocentibus, & solutiones ipsis factæ indè usque à tempore contracti criminis non valeant *l. 20. D. d. accus. l. ult. C. ad L. Jul. Majest.*

*Decimum*, quod Jure Civili Servi in caput Dominorum torqueantur *l. penult. & ult. C. ad L. Jul. Majest.*

*Undecimum*, huic consequens, quod servus Dominum libertus Patronum deferre possit. & accusantes audiantur *l. 7. §. servi D. ad L. Jul. Majest. l. 6. C. de delatoribus lib. 10. l. 2. §. pen. D.*



*D. ad L. Jul. Majest. l. 6. C. de delatoribus lib. 10. l. 2. §. penult. D. de jure Fisci. Paulus lib. 3. tit. 13. Quæ tamen, quæ de servis & liberto hic dicta sunt, aliàs nunquam locum habent, vid. l. 1. l. 7. & l. 14. C. de quest. l. 1. §. 1. & 16. l. 3. l. 9. §. 1. l. 18. §. servus & seq. De eodem l. 8. C. de test. Cicero pro Dejotaro & Milone Paulus lib. 1. Sent. tit. 12. lib. 2. tit. 17. lib. 5. tit. 16. & l. 1. §. 1. D. d. quest. & l. 2. C. b. t.*

*Duodecimum*, quod in quæstione de hoc crimine, nulla dignitas vel militiae, vel generis à tormentis excipiatur, sed omnium æqua sit conditio *l. 3. & 4. C. b. t. l. 10. D. d. quest. l. 16. C. eodem Paulus lib. 5. tit. 29.* ubi Cujacius adducit Ammianum Marcellinum & Chrysofostomum.

*Decimum tertium*, quod hic ad accusandum admittantur famosi, milites, mulieres, servi, quod in aliis, excepta annonâ, secundum *l. 13. D. d. accusat.* non ita procedit, vid. *l. 7. & 8. D. de pœnis.*

*Decimum quartum*, quod pro Reis intercedentes infamiâ notentur *l. quisquis §. denique C. ad L. Jul. Majest.*

*Decimum quintum & ultimum*, quod hujus criminis conscii, nisi in tempore detegant, extra ordinem puniantur, confer *l. 5. §. 6. C. ad L. Jul.*



*Majest.* Tulden. *in hunc Titulum C. n. 15. 16.* Anton. Matth. *d. crimin. c. 3. d. lesf. Majest. n. 23.* & etiam *l. 6. D. de pœnis.* Ratio hujus videtur esse triplex I. quia silens videtur consensisse in factum II. quia ingens periculum in hoc silentio, utpote quo corroborari potest hoc crimen, versatur; in tempore verò si detegatur præcaveri potest, exemplum habemus in Sacris *Esibera c. 2. v. 21. & seqq.* III. quia per consequens quod quis potuit prohibere, ne fieret, (potuisset enim revelando in tempore) & non prohibuit, in culpa versatur. De quo insigne exemplum prostat in filio Thuani, qui capitali supplicio affectus fuit ob solam conscientiam cædis Cardinali Richelio intendæ; tacuerat enim rem Reipubl. valdè exitiosam, & eo ipso tacitum consensum vel approbationem secururæ cædis declaraverat, confer

*Priolum. Hist. Gal. lib. 1. c. 6.*

TANTUM!

DEO SIT LAUS ET GLORIA.

No-



NOBILISSIME DN. MÜLLERE,

**B**Quidem vulgus hominem, qui multas ex favore pecunias & latifundia possidet, fortunatum iudicat; imò mercatores, ut pauperiem fugiant, ad extremos Indos currunt: at nobilis virtus excelsa rupe se locavit, & opes juris obscura teguntur nube; Illa patet laboranti; Ha vigilantibus. Ut omnis generis doctrinam conquireres, Amicissime Müllere, remotis ex oris nostram Salanam, tanquam ad mercaturam bonarum artium, accessisti, atque inde fesso studio, de quo erga omnes Bonos fidem facio, Te lectionibus meis assiduò interfuisse, scientiarum cumulum acquisivisti; & cum genio felici Te natura beaverit. Themisque tota Tibi faveat, labores tuo alma nostra legum nutrix comprobet, larga premia feret, tempora mitra rubea velatus domum redibis, & genitale solum se beatum cive jactabit. Quod ut fiat, & omnia fausta sequantur, cordicitus voveo

Tui amantissimus

PRÆSES.

**H**Actenus in Themidos castris nutritus amœnis

Clara tuæ mentis dona videnda dabis.

Gratulor hos ausus, applaudit Salais alma,

Pramia promittens digna labore gravi.

*Honoris & affectus erga cum voto felicissimorum  
successuum scrib.*

GEORG. WOLFFGANGUS WEDELIUS,  
Med. D. Confil. & Archiater. Duc. Sax.  
Theor. Prof. Ord. & S. R. I. Natur.  
Curiof. Adj.

**J**ure peritorum collustrans pulpita monstras,  
Quod Majestatem ledere grande scelus.

Egre-



Egregios ausus! Laudari quippe mereris,  
 Crimina dum taxas, dum meliora probas.  
 Dumque reo loqueris pœnas, Tibi præmia spondet  
 Nostra Themis: quæ sunt, quæ satis ampla precor.

*Nobilissimo ac clare docto Dn. Autori, Commensali suo quon-  
 dam pergrato, gratulaturus scribebat*

JOACHIM. Seifen / Rostochiens.

Ad Nobilissimum & clare Doctum Dn. Autorem,  
 Amicum Certissimum.

**R**uſtra eſt hodiè verbis, qui sperat conſequi, quæ vix ſcriptæ  
 poſſunt. Hic eſt ſæculi noſtri genius: manus habet ocula-  
 ſas, quæ non credunt, niſi quod vident. Quin dudum ab  
 uſu recēſit veterum illud; En dextra fidesque. Quin-  
 quennium eſt, & quod excurrit, quò non oram Jurisprudentiæ legiſti ſolum  
 ſed abdita ejusdem ſcrutatores. Nec tamen te ſcire putas, niſi Te ſcire,  
 ſciant Docti, ſciant patria. Id quod inſigni ingenii documento is compro-  
 batum. Nec eſt quod L. 10. de Teſtibus; nullum in re ſua idoneum te-  
 cet audiatur teſtimonium, eſt tamen publica auctoritate factum publicum.  
 Mibi vero cum non ſit animus laudum Tuarum Panegyricum condere, nec  
 liceat proſus, niſi amicitiam, quodammodo ledere vellem, in modèſtiam  
 Tuam injurius; hoc verbo expediam, cur calamum arripui, & gratula-  
 bundus Deum veneror, propoſitum ſtudiis brabeum feliciter reportes &  
 bene valeas.

Abituriens & properante crena  
 dabam Jenæ d. r. Sept.

A. 1687.

Georgius Fridericus Reutz,  
 Livonus.





ULB Halle  
006 224 121


3



vol 18  
V3 17











B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

C. D.  
DE 1687, 23 46  
CRIMINE  
MAIESTATIS

PRÆSIDE

PETROMÜLLERO, JCTO  
Confil. Saxon. Pandectar. Profefs. & Colleg.  
Jurid. Decano

*In Auditorio Jctorum*

d. 3. Septembr. 1687.

*disputabit*

WILHELMVS MÜLLERVS,  
Mitavia - Curonus.

JENÆ, Typis PAULI EHRICHII,  
Anno 1712.

7

2. 22.